DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

COGITATA QVAEDAM

DE

FLVXV HEPATICO

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE ETC.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

RITE IMPETRANDO

A. D. [illegible] AVGVSTI CIƆIƆCCXCV.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

AVCTOR

CAROLVS IOACHIMVS CHRISTOPHORVS ANDREAE

SVERINO-MEGAPOLITANVS.

IENAE

TYPIS STRANCKMANNI.

DE

FLVXV HEPATICO

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

COGITATA QVAEDAM

DE

FLVXV HEPATICO

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AUGUSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

RITE IMPETRANDO

A. d. XXII AVGVSTI CIƆIƆCCXCV.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIECIT

AVCTOR

CAROLVS IOACHIMVS CHRISTOPHORVS ANDREAE

SVERINO - MEGAPOLITANVS.

IENAE

TYPIS STRANCKMANNI

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FRIDERICO FRANCISCO

DVCI REGNANTI MEGAPOLITANO

PRINCIPI VANDALORVM SVERINI ET RATZEBVRGI

COMITI SVERINI

TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDI DOMINO
EQVITI ORDINIS ELEPHANTI ET AQVILAE NIGRAE REL.

PATRI PATRIAE OPTIMO

DOMINO SVO LONGE CLEMENTISSIMO

DISSERTATIONEM

HANC SOLEMNEM MEDICAM

PVBLICVM SANCTISSIMI OBSEQVII MAXIMAE PIETATIS AC REVERENTIAE MONVMENTVM

SVBMISSISSIMO ANIMO

DAT DICAT CONSECRAT

SIMVLQVE

SE IPSVM SVASQVE RES HVMILLIME COMMENDAT

AC

FORTVNATISSIMVM REGIMEN CONSILIORVM

LAETISSIMOS EVENTVS

ET SERENISSIMAE MEGAPOLITANAE DOMVS

PERPETVAM INCOLVMITATEM FLOREM AC SPLEN-

DOREM RELIGIOSE ET PIE OPTAT AC

PRECATVR

SERENISSIMI NOMINIS

DEVOTISSIMVS AC SVBIECTISSIMVS

CVLTOR

CAROL. IOACHIM. CHRISTOPH.

ANDREAE.

Peculiaris iſtius alvi excretionis, fluxus hepatici nomine, in foro medico ſatis celebratae naturam atque indolem pro virili mea hoc loco contemplaturus non magis utile reor, quam neceſſe fore, ſtatim ipſo operis aggrediendi limine circumſcripte breviterque oſtendere, eam variis in re medica appellationibus notari et medicos tam veteres quam recentiores de ea in alia ire ſolere omnia magnamque inter eos eſſe diſſenſionem de germana huius mali ſede geneſi et cauſa, quid? quod nec de

exi-

exiſtentia quidem eius inter eos conveni-re. A veteribus ac Tralliano hic ventris fluxus dyſenteriae hepaticae ſeu jecinoroſae nomine inſignitur, quia eum pro iſta dyſenteriae ſpecie habuerunt, qua cruor aquoſus vel potius ſeroſus a lotura carnium recens mactatarum parum vel nihil abludens per intervalla ano extruditur eumque ex hepate affecto ſolo effluere et ad inteſtinorum cavum permanare contenderunt. Plerique vero recentiorum, quibus dyſenteriae appellatio minus congrua videbatur, antiquato hoc nomine hunc fluxum ventris fluxus hepatici nomine deſignarunt, quo noſtra etiam nunc memoria in medicorum ſcholis creberrime et uſitatiſſime celebrari ſolet. Haud inſolenter quoque hic ventris fluxus lotricus fluxus vocari ſolet, eam ob cauſam, quoniam dejecta alvi proluvies colorem aquae, in qua carnes recenter mactatae fuerunt ablutae, refert.

Galenus, quantum mihi ſaltem conſtat, omnium veterum medicorum primus fuit, qui compluribus ſuorum poſteritati relictorum ſcri-

ſcriptorum locis fluxus hepatici mentionem fecit et ſua de eo cogitata, propoſuit, hunc vero fluxum iam ante eum fuiſſe cognitum et dyſenteriam hepaticam nominatum, ex multis eius locis apparet*). Apud Hippocratem et Celsvm nullum huius fluxus veſtigium reperitur.

Galenvs totaque antiquitas ad usque Rvdbeckii et Thomae Bartholini tempora nobiliſſimum ſanguificationis officium viſcerum maximo, hepati, detulerunt et ſtatuerunt, chylum ex inteſtinis a venis meſaraicis attrahi et ad hepar deferri, ab eo in ſanguinem perfectum coqui et hunc porro per venam cavam eiusque ramos in omnes corporis partes inde nutriendas deduci. Porro Galenvs **) attribuit omnibus ac ſingulis corporis humani partibus adeoque etiam hepati quatuor facultates ſeu vires naturales. Vnam vocat attractricem, quae peculiares parti ſuc-

*) de ſymptom. cauſſis Lib. III. cap. VII.

**) de locis affectis Lib. IV. cap, VII.

cos alendi gratia appetere et attrahere poteſt, altera eſt, quae alteratrix vocatur, qua ſuccus attractus ſimilis evadit parti, quae alitur. Huic duae aliae vires miniſtrant, retentrix, quae ſuo munere fungitur, quando pars attractum ſuccum coquit, donec in eius naturam eum mutaverit, et expultrix, quando a coctione, quod inutile eſt, excernit idque excrementum vocatur. Hae facultates ſeu vires omnes in qualibet parte adeoque etiam in hepate mutari et vitiari poſſunt. et vel infirmae ſunt vel validae. Si hepatis facultas alteratrix, quam ſanguificationi praeeſſe contendit quamque propterea facultatem hepatis ſanguificam ſeu propriam appellat Galenvs, debilis eſt, id vocat hepatis imbecillitatem ſeu atoniam omniaque ſymptomata inde oriunda affectiones hepaticas in ſenſu ſtrictiori. Praeterea bonam ſeu naturalem partium corporis humani viriumque, quibus gaudent, conſtitutionem a debita elementorum, calidi, frigidi, humidi et ſicci, proportione et mixtione, quam temperiem vocavit, dependere, hacque laeſa vel vitiata, dum hoc vel illud, calidum vel frigidum ſiccum vel humidum, exceſſu vel defectu

peccat

peccat, quod intemperiem vocat, permultos naſci morbos, multas variasque dari intemperiei ſpecies, calidam, frigidam, ſiccam et humidam, et, ſi qua earum in hepate oritur, tunc accedere iſti hepatis facultati noxam ſeu vitium, quod iſti intemperiei debetur, exempli cauſa, calidam hepatis intemperiem cum contentos in eo humores, tum eos, qui per meſenterii venas in id deferuntur, et aſſare et adurere, frigidam autem contentos iam in ipſo humores craſſos atque ad fluxum et motum contumaces reddere, id vero, quod ad ipſum fertur, et pituitoſum et crudum et ſemicoctum efficere ſtatuit *).

Quatuor apud GALENVM **) reperiuntur dyſenteriae ſpecies, quae omnes dyſenteriae ſanguineae nomine fuerunt inſignitae et quas leviter duntaxat tranſire non abs re erit. Earum prima ſuos ducere natales GALENO ſcribitur a ſola ſanguinis toto corpore abun-

*) de locis affect. L. V. cap. VII.

**) de ſymptom. cauſ. Lib. III, cap. II. et de locis affect. Lib. II. cap. V.

dantis copia, qui ex vaſis in inteſtina effuſus, certis periodis, ſincerus alvo ejicitur. Quam dyſenteriae ſpeciem quibusdam ob mutilatos artus, vel iis, qui ab exercitatione et laboribus ſe ad inertem vitam deſidioſamque contuliſſent, nec non mulieribus, quibus menſes ſuppreſſi ſint, frequenter accidere perhibet. Altera dyſenteriae ſpecies ea a Galeno eſſe traditur, in qua cruor aquoſus a lotura carnium recens mactatarum parum vel nihil abludens per intervalla alvo extruditur. Haec ab eo *ἕπατος ἔκϱιτις* et ab eius ſectatoribus dyſenteria hepatica nominatur *). Tertia eidem eſt, quum ſanguis ater melancholicus ſplendensque dejicitur. Quae tandem quarta dyſenteria a Galeno numeratur, eſt ea, qua modo verus, modo concretus ſanguis, pus tam purum quam ſtriis ſanguineis perſuſum, quin etiam ulcerum cruſtulae, quae graecae ephelcides dicuntur, praeterea membranoſa quaedam corpora, quae inteſtinorum ipſorum ſunt particulae, excernuntur. Haec quarta dyſenteriae ſpecies ab inteſtinorum exulceratione oritur

*) de loc. affect. Lib. VI. cap. 82.

tur, et ab aliis ſimpliciter et proprie dyſenteria fuit appellata. Tres priores dyſenteriae ſpecies omnes ex hepate oriri contendit GALENVS, ſed ſub diverſis conditionibus, primam et tertiam ob expultricis ſacultatis robur, ſecundam ab atonia facultatis propriae, cum hepar chylum per venas meſeraicas attractum recipit quidem, ſed non in verum ſanguinem mutare valet *). Hoc caſu hepati, inquit GALENVS l. c. ſimilis incidit paſſio, quae imbecillo ventriculo, qui cibos quidem appetit, ſed acceptos concoquere non poteſt, ſed iis oneratur et vel eos ſemicoctos ad inteſtina dimittit vel ad vomitum irritatur. Quod praeſente hac dyſenteriae ſpecie ſeu fluxu hepatico per alvum excernitur, fluidum aquae, qua carnes recenter mactatae fuerunt ablutae, eſt ſimile et ſi alvi fluxu ejusmodi excernitur materia fluida, id certiſſimum eſſe ſignum atoniae hepatis contendit GALENVS **). Accurate diſtinxit iſte dyſenteriam proprie et ſimpliciter ſic dictam, quae exulcerationem inteſtino-

*) de ſymptom. cauſſis Lib. III, cap. VII. et Lib. VI. cap. 2.

**) de locis affect. Lib. V, cap. VIII.

ſtinorum ſupponit, a dyſenteria hepatica ſeu iſta, quae ab hepate profluit. Etenim in illa, inquit, protinus ab initio bilis mordax ſecernitur, quam deinde interaneorum abraſiones ſequuntur, poſtea paulum cruoris ſimul excerni videtur, in hac vero ab initio tenuis ſanies ſanguinis ab hepate dejicitur, deinde aucto malo craſſus et atrabilarius humor fecibus vini haud abſimilis, praetereaque in hepatis excretionibus nihil abraſum expellitur atque interdum duorum aut trium dierum intervallo ſupprimitur evacuatio, deinde rurſus redit malum atque excernuntur prioribus multo peiora, id vero per inteſtinorum ulcera haudquaquam apparet, quippe in iis neque affatim neque ex longis temporum intervallis laborantes dejicere conſueuerunt. Porro eundem hunc affectum, id eſt, excretionem ſeu dyſenteriam hepaticam incipere interdum ob frigidam hepatis intemperiem citra febrim, quando tenuis ſanies ſanguinis excernitur; deinde tractu temporis, dum ſanguis in hepate corrumpitur, febrim ſupervenire ſolere et interdum hepatis inflammationem acedere poſſe tradit. Hactenus dicta

ſuffi-

ſufficiant ad GALENI ſententiam de fluxu hepatico intelligendam. Egregie hac de re commentatus eſt Auctor quidam illuſtris in commentario iſto, qui inſcribitur: Iournal der Erfindungen, Theorien und Widerſprüche in der Natur- und Arzneiwiſſenſchaft, Viertes Stück p. 58 - 78. eoque duce in iis, quae hactenus propoſui, uſus ſum, eumque etiam in iis, quae ſequuntur, ſequar.

Qui poſt GALENVM vixerunt, medici vsque ad finem ſeculi praeteriti, fuerunt fere omnes eius ſectatores et deſcriptioni fluxus hepatici, quam dederat GALENVS, parum vel nihil evidentiae et perfectionis attulerunt eamque non experientiis propriis confirmarunt, ſed potius novis ſuis hypotheſibus depravarunt, GALENVM male intellexerunt et explicarunt, eiusque deſcriptionem de decurſu huius fluxus neglexerunt.

Ab eo tempore, quo medici GALENI dogmata rejecerunt et GALENO veteribusque receptam opinionem, qua hepati munus ſanguificationis affinxerunt, refutaverunt, aliam plane

doctrina de fluxu hepatico induit faciem eiusque exiſtentia vel plane negata vel in dubium vocata fuit. Sic Francisco Sylvio huiusmodi hepatica alvi dejectio dubia videtur, eo duntaxat nomine, quod talis alvi proluvies non ſibi unquam in ſua praxi viſa ſit, qualis a maioribus deſcripta legitur *). Cui alter ſuccedit teſtis Ettmüllervs **), qui perſpicuis tradit verbis, veterum fluxum hepaticum, quo ſanguinem aquoſum tenuem loturae carnium ſimilem ſine dolore et gravibus ſymptomatibus per alvum dejici perhibent, eſſe revera nonens, omnesque eos, qui hoc fluxu laboraſſe dicuntur, nequaquam hunc, ſed haemorrhoidalem fluxum habuiſſe. Neque de fonte et cauſa huius fluxus inter ſe conſentiunt auctores. Sylvivs ***) quippe planiſſime ſcribit, ſi quis forte exiſteret fluxus hepaticus, eum tamen vix ab ulla alia deducendum eſſe cauſa, quam a ſolo abundante ſero, ſanguini ad-

*) Prax. med. Lib. I. cap. XVII. §. 24. p. 102 et §. 47. p. 108.

**) Oper. med. Franc. ad Moenum. Tom. II. P. I. p. 167.

***) loc. cit.

admixto et meſaraica vaſa ſimul relaxante, cui etiam Ettmüllervs *) aſſentitur, diſerte tradens, ſi cui forte placeret, talem defendere fluxum, veteribus hepaticum dictum, ipſi tamen nullam aliam aſſignari poſſe cauſam, quam ſanguinis nimiam aquoſitatem et tenuitatem, ob ſeri abundantiam, quae tam fluxilem et tenuem redderet maſſam ſanguineam ſimulque vaſa meſaraica adeo relaxaret, vt ſanguis aquoſus per vaſa adeo relaxata facile et copioſa in inteſtinorum cavum transſudare poſſet. Quo etiam nomine hunc fluxum nequaquam fluxum hepaticum, ſed potius ſanguinolentam diarrhoeam cenſet appellandum. Quibus etiam acceſſerunt plerique alii ſequentes medici, quippe qui aeque ac iſti non cum Galeno ex hepate, ſed ex eodem, quo iſti, vel alio plane fonte derivarunt fluxum hepaticum nec vllus recentiorum medicorum, quantum mihi ſaltem conſtat, fide dignam palam fecit obſervationem, qua fluxus hepaticus eo, quo Galenvs eum vidiſſe perhibuit, modo et cum concomitantibus ſymptomatibus ſu-

pra

*) Oper. med. Tom. II. P. I. p. 168.

pra commemoratis ab eo ſuit deſcriptus. Extra omnem dubitationem poſitum eſt, GALENUM et plures alios medicos poſt eum ejusmodi alvi excretiones, quibus fluidum loturae carnium ſeu aquae ſanguineae ſimile ejicitur, vidiſſe, easque ab hepatis affectione derivaſſe, ſed hanc hepatis affectionem non a vitio ſeu laeſione ſubſtantiae hepatis, ſed tantummodo a virium ſeu facultatum, quas hepati affinxit, de quibus ſupra p. 4. dixi, vitio dependere expreſſis dicit verbis GALENUS, complures vero alii medici, immo iſti, qui GALENI erant ſectatores contrarium, id eſt, fluxum hepaticum ex vitio ſeu laeſione ſubſtantiae hepatis naſci, experientiis ſuis probare ſtuduerunt.

Pertinet ad hos IAC. BONTIUS *), qui de milite quodam gregario, hepatis inflammatione correpto refert, quod omnibus auxiliis incaſſum adhibitis, hepaticus ei ſucceſſerit fluxus, unde tumor, quem in dextro hypochondrio antea habuiſſet, evanuerit, tandem au-

ten

*) Medic. Indor. Lib. VII. obſ. IX.

gem mortem obierit. Secto cadavere, loco hepatis, ſolam membranam iſtud veſtientem eamque ſatis craſſam, inſtar ſacci, invenit, cui adhuc portio ſaniei, carnium loturam referentis, et nihil ab ea, quam per longum tempus alvo effuderat, abludentis inhaeſit, argumento ſane vix ullo teſtatiori, huius male nidum in ipſo delituiſſe hepate. Idem affirmat, hepatis abſceſſu, qui inflammationem ſecutus, aperto ſanioſum humorem carnium loturae ſimilem alvo fuiſſe excretum. Aliud exemplum priori fere ſimillimum apud IORDANVM *) reperitur, ubi aegrotans poſt praeviam dyſenteriam proprie ita dictam, fluxu hepatico legitur correptus, quo absque intermiſſione purus atque impermixtus cruor, interdum loturae carnium haud abſimilis, fuerit deiectus. Cadavere poſt obitum diſſecto univerſum hepar, inſtar pomi fracidi corruptum et putrefactum eſt deprehenſum, ita, vt iniectorum digitorum veſtigia oſtenderit. Sic quoque multos BALLONIVS **) obſervavit, qui gravi

*) cap. XIX. de peſtis phaenom.

**) Conſ. med. Lib. I. 53.

gravi quodam et chronico morbo diu confli-
ctati denique ſub finem eius fluxu hepatico
affecti ſunt, in quorum cadaveribus inciſis
hepatis parenchyma colliquatum et conſum-
tum ſemper apparuit. FORESTVS *) affirmat,
non tantum cruenta et aquoſa, ſed ipſam
quaſi hepatis ſubſtantiam deieciſſe eos, qui
fluxu hepatico fuerunt extincti. Plura qui-
dem eiusdem valoris exempla in rei medicae
ſcriptorum libris obvia recenſere et ſic ube-
rius confirmare poſſem, quod in cadaveribus
eorum, qui hepatico fluxu interierunt,
quam ſaepiſſime hepar vel obſtructum atque
inflammatum vel ſuppuratum, eroſum, cor-
ruptum ac putre, vel ſubcruenta ſanie re-
dundans vel plane diſſolutum et collique-
factum, quid? quod eodem tabo, loturae
carnium ſimili, quod aegri viventes per al-
vum reddiderant, ſcatens velutque diffluens
fuerit repertum, verum haec pauca allata ſuf-
ficiant.

Ne-

*) Obſervat. et curat. med. Francof. 1602. Fol. p.
200. 386.

Neque in dubium vocabo neque negabo, in eorum, qui fluxu hepatico extincti fuerunt, cadaveribus abſceſſus et ulcera aliaque vitia hepatis fuiſſe reperta atque ab abſceſſu vel vlcere hepatis obſeſſis ſaniem cruentam loturae ſimilem ventris fluxu fuiſſe redditam, ſed quaeſtio eſt, an iſte ventris fluxus, quem ab ulcere hepatis derivarunt et fluxum hepaticum nominarunt, etiam revera talis et is fuerit, quem deſcripſit Galenvs. Minime id concedere poſſum. Nam iſte fluxus hepaticus cum illo Galeni plane non convenit et ulcera hepatis plane alia habent ſecum coniuncta ſymptomata, quam iſta, quae Galenvs fluxum hepaticum comitari ſcripſit. Optime Galeno hepatis obſtructiones, inflammationes, ſcirrhi, ac ſuppurationes cognita erant, id quod cuique eius ſcripta legenti patebit, ſed omnia iſta hepatis vitia ab iſta hepatis affectione, cuius primarium ſymptoma eſt dyſenteria hepatica ſeu fluxus hepaticus, probe et expreſſe diſtinxit. Neque iſti paulo ante citati Autores memorarunt, aegros, quos fluxu hepatico laboraſſe ſcripſerunt, initio dun-

taxat ſaniem ſanguineam dejeciſſe, poſtea vero aucto malo nihil amplius tale, ſed feces multiformium aliarum qualitatum et conſiſtentiae, velut a ventre ex cruditate laborante, excreviſſe, vti memoravit GALENVS *).

AVICENNA *Lib. IV. fen. 14. tract. 4. cap. 2* alvi deiectiones fluxum hepaticum comitantes eſſe ſine dolore et modo cum excrementis modo ſine iſtis fieri ſcribit, de quo GALENVS vero nullam fecit mentionem. SENNERTVS Practic. med. Lib. III. P. II. Sect. II. cap. 8. hepaticum fluxum ab imbecillitate hepatis ſanguinem recte generare non valentis, illumque non ſolum a mutatione temperiei ſeu intemperie, ſed etiam a defectu calidi innati deducit. BERNARDVS DE GORDONIO *Lilio medicinae* Venet. 1496. p. 182. nominat omnes alvi deiectio-

*) Iournal der Erfindungen, Theorien und Widerſprüche in der Natur- und Arzneywiſſenſchaft viertes Stück 1ſter Band p. 70.

iectiones ſanguineas, ſiue ab hepate ſiue ab aliis viſceribus oriantur, fluxus hepaticos. Alii in hoc ventris fluxu hepar intemperie frigida laborare credebant, cum tamen GALENVS diſerte dicit, omnes intemperiei ſpecies cum hoc fluxu coniungi poſſe, et multi quamuis diarrhoeam aquoſam ſanguineam nominarunt fluxum hepaticum: IO. BAPT. BIANCHI *Hiſtor. hepat.* P. III. p. 458. hunc fluxum nomine catarrhi hepatis inſigniuit, quia eſt fluxus ſeroſus ſimulque ſanguineus, qui a ſero vna cum quadam ſanguinis parte in vaſis hepatis a communi maſſa praeternaturaliter ſecedente atque per biliarios ductus ad inteſtina defluente oritur et omnes ſeroſi ad partes defluxus catarrhi nominantur. Diſtinxit hunc fluxum in bonum et malum ac lethalem, criticum et ſymptomaticum, et RAYM. IO. FORTIS in legitimum ſeu verum et ſpurium ſeu nothum cui plerique alii adſtipulati ſunt *). Legitimus ſeu verus fluxus hepaticus illis dicitur, quo cruor ſimilis aquae, qua nuper mactatae animantis carnes ablutae ſunt, aluo effunditur; ſpurius

*) Conſult. et reſpons. med. Tom I. cent, III. RIVERIVS Prax. med. Lib. X. cap. VI. p. 300. IVNCKERVS Conſpect. med. Tab. XI. et SENNERTVS l. c.

rius vero ſeu nothus ipſis fertur eſſe, quum deiecto latici varia alterius indolis recrementa, velut bilioſa, purulenta, mucoſa aut ſanguis niger, craſſus, veluti congelatus, haerent intermixta. An vero haec diſtinctio tanti ſit facienda, quanta nonnullis ſriptorum forte fuerit viſa, maxime, quam a ſola excrementorum diuerſitate, quae tantum accidentalis eſt, petita eſt: id aliis me multo doctioribus et ingenio ac ſagacitate acutioribus relinquam diiudicandum: celeb. Bianchi *) certe minus probata viſa eſt.

Qui hactenus allata exactius perpenderit, is nullo negotio clariſſime perſpiciet, per fluxum hepaticum nihil aliud intelligi, quam iſtam diarrhoeae ſpeciem, qua fluidum albidum quoddam rubicundum, carnium loturae ſimile, vel ſolum vel cum ſanguine et excrementis miſtum, interdum ipſe ſanguis vel purus impermixtus vel multo ſero dilutus vel coagulatus vel atra bilis ſeu ſanguis ſpiſſus et ater, pici liquidae ſimilis, per interualla ſine notabili dolore deiicitur. Minus recte appellatur meo iudicio

*) loc. cit. p. 461.

dicio hic fluxus dyſenteria hepatica, quia teneſmo et vehementibus torminibus, quae dyſenteriae eſſentialia ſunt ſymptomata, non eſt ſtipatus, et, ſi qua etiam ei accedunt tormina, haec tamen non ſemper ſunt praeſto, ſed malo vel ingraueſcenti vel diutius protracto vel mortem aegro afferenti ſuperueniunt. Me non praeterit, nonnullos esse, qui ſtatuant, dari dyſenterias indolentes, ſed mihi perſuadere non poſſum, eiusmodi exiſtere dyſenterias, niſi preeſente ſtatu ſumme putrido vel ſphacelo vel paralyſi. Sed quid eſt illud fluidum albidum rubicundum, loturae carnium ſimile, quod deiicitur praeſente hoc fluxu? Ego id vel ſanguinem multo ſero ita dilutum vel ſaniem cum ſero, vel, ſi mavis, lympha et ſanguine ita mixtam, vt ſpeciem aquae, qua carnes recenter mactatae ſunt ablutae, prae ſe ferat, eſſe mihi perſuadeo.

Fluxus hepaticus non eſt morbus, ſed potius ſymptoma, quod a variis oriri poteſt morbis, vt ſuis cauſis. Pertinent ad hos potiſſimum

1) ulcera hepatis meſenterii pancreatis et lienis. Plerique medicorum cauſam et

 cul-

culpam fluxus hepatici in varia hepatis vitia et inter alia in eius ulcera conjecerunt, id quod ex hactenus dictis luculenter apparet. Tametſi vero in progignendo fluxu hepatico hepati priorem potioremque labem prae reliquis in abdomine contentis viſceribus defeꝛam, noli tamen putare, cunctas ceteras in abdomine reconditas partes propterea omnino a me excludi. Nec deſunt obſervata, quae nobis huius rei fidem faciunt, ubi hepatici profluvii minera in meſenterio liene et pancreate fuit offenſa. Evolvat eiusmodi caſus lecturus BONETI *Sepulchretum anatomicum*, quo variae obſervationes id haud ſane obſcure teſtantes proſtant, porro *clar. D. D. Georgi Diſſertationem de dyſenteria hepatica Praeſide Ioanne Iunckero Halae MDCCXLVII. habitam p.* 22. item clar. D. D. MERCKEL *Diſſertationem de fluxu hepatico Praeſide Adamo Brendelio MDCCXV. Vitembergae defenſam.* §. X. Vlcera pedetentim horum memoratorum viſcerum ſubſtantiam arrodendo atque exedendo conficiunt et conſumunt et ſanioſum, quod fundunt, liquamen cum ſeri, vel ſi mavis, lymphae et ſanguinis portione quadam ita mixtum, vt ſpeciem loturae carnium prae

ſe

ſe ferat, vel per vias naturales, vt ex hepate per ductus biliarios hepaticum et choledochum et ex pancreate per ductum pancreaticum vel per vias praeternaturales, quas erodendo fecit, in inteſtina fertur et ano extruditur. Quilibet facile perſpicit, omnem fluxum hepaticum, qui ab hisce oritur cauſis, omnem eludere medicationem aegrisque omnem ſpem convaleſcendi aufferre nihilque certius expectari poſſe, quam funeſtum exitum. Quapropter iſta exempla, vbi hic fluxus funditus ſit curatus, tam rara ſunt, quam quae rariſſima. Plurima quidem in obſervatorum libris obvia ſunt teſtimonia de fluxu hepatico feliciſſime curato, verum maxime dubito, an omnes iſti morbi, qui ab obſervatoribus fluxus hepatici nomine literis proditi exſtant, vere tales unquam et ab his cauſis orti fuerint. Ill. Nicolai mihi retulit, omnium iſtorum, qui hoc laborarunt fluxu, nullum, cum moderatore beato Frid. Hoffmanno artem exerceret medicam, convaluiſſe.

II) Obſtructiones infarctus et ſcirrhi viſcerum abdominalium, praeſertim hepatis et lienis, producunt interdum fluxum hepaticum.

cum. Quodſi enim ſanguini per meſentericas venas ad hepar revehendo propter obſtructionem infarctum vel ſcirrhum huius viſceris liber atque expeditus eo reditus intercludatur, quisque facile perſpiciet, fore hoc modo, vt ſanguis redire neſcius in venis meſentericis ſubſiſtat ſicque ſanguini per arterias meſentericas a tergo ſuccedenti moram atque impedimentum iniiciat: hinc aliter fieri non poteſt, quam vt tenuior magisque ſeroſa portio a sanguine in arteriis meſentericis retardato atque accumulato pedetentim ſecedat, atque per ultimas earum extremitates in inteſtina hiantes copioſius juſto affluentiusque ſenſim inteſtinorum alveo illabatur, et paulatim quoque ipſas has extremitates usque eo dilatet, ut ipſis tandem rubicundis ſanguinis globulis per iſtas facilis detur ad inteſtina aditus, qui proinde initio portioni ſeroſae rariores ejusmodi ſeroſum pariunt cruorem, carnium loturae ſimillimum, quem aegroti alvo effundere ſolent, verum extremitatibus illis temporis tractu plus dilatatis et amplificatis copioſiores eidem ſero admixti et affluentiores proluviem gignunt magis cruentam et ru-

rubicundam, ita, vt denique, prout viae hae plus minusve fuerunt dilatatae, ſincerus velut cruor variis coloribus tinctus alvo eiiciatur *). Quid? quod ipſae meſentericae nimis diſtenſae et varicoſae venae effundere poſſunt ſuum in inteſtinorum alveum ſanguinem, qui vel purus et ſincerus vel cum magna seri copia mixtus ano extruditur. Eadem habet illuſtris b. m. VOGEL **), qui, fluxus hic, inquit, ex arteriis inteſtinorum lymphaticis relaxatis vel ex venis quoque rectius derivari poſſe videtur, quae propterea ſanguinis tenuioris portionem commode transmittunt, haecque ſententia non ſolum ſymptomatibus reſpondet morbi, quod ſcilicet deiectio ſine dolore fit et diu trahit, ſed ipſa etiam autopſia confirmata fuit, dum in cadavere non ſolum turgidae meſenterii venae et arteriae repertae, ſed et ilei coli ac recti interna ſuperficies punctulis rubris obſeſſa visa eſt, unde adeo guttulae ſanguinis exprimi potuere ***). Qui ab obſtructionibus in-

*) Georgi Diſſert de dyſenteria hepatica § XXI.

**) Praelection. de cognoſcendis et curandis praecipuis corporis humani affectibus p. 218. §. 283.

***) Klaunigii Noſocom. Charit. obſ. 23.

infarctibus et ſcirrhis viscerum abdominalium nascitur, fluxus hepatici curatio plane ab illorum ſtatu dependet, qui ſi ita eſt comparatus, vt arte tolli possit, etiam exinde ortum malum poteſt depelli. Si vero obſtructio viſcerum iam altiores fecit radices, obfirmata eſt et pertinax omnemque eludit medicationem, nulla convalescendi ſpes ſupereſt.

III) Saepe oritur fluxus hepaticus ab haemorrhoidibus. Satisque ſuperque observationibus, quas in medium adducere poſſem, niſi limites diſſertationis id vetarent, conſtat, admodum propinqua cognatione hunc fluxnm aliquando eſſe haemorrhoidibus annexum, ita, vt vel cum his alternet, vel, quod crebrius obſervatur, in eas abeat, illosque prae caeteris homines ad hunc fluxum eſſe maxime proclives, qui habent ad haemorrhoides diſpoſitionem et haemorrhoidali fluxui apti exiſtunt atque obnoxii. Quo nomine conſentaneum eſt, haemorrhoides, ſi tempeſtive fluxu hepatico affectis superveniant riteque ſuccedant, hunc, niſi magna ceperit incrementa. eſſe averſuras vel ſublaturas. Hinc quoque apparet, cur nonnulli medicorum cum PAV-

LO

lo Barbette Deckero aliisque hunc fluxum pro apertione vaſorum haemorrhoidalium ſuperiorum ſeu internorum habere et vendicare non dubitaverint *). Haemorrhoidibus fluentibus ſanguis non ſemper rubicundus purus et ſincerus merus atque impermixtus, ſed ſaepe etiam cum ſeri magna copia mixtus et ſpeciem loturae carnium prae ſe ferens, praeſertim in iis, quibus ſerum abundat, excernitur, ita, ut haec quoque excretio fluxus hepaticus haberi et nominari poſſit.

IV) Fluxus hepaticus ſe comitem diarrhoeae ſeroſae et ſanguineae nec non dyſenteriae adiungere poteſt. Diarrhoeam ſeroſam ab affluxu humorum ſeroſorum verſus inteſtina aucto, quo extremitates arteriarum in inteſtina hiantes juſto dilatantur, vt juſto maiorem ſeri copiam tranſmittant, oriri nemo vocabit in dubium. Fac nunc, iſtas extremitates eo uſque dilatari et amplificari, vt non ſerum ſolum, ſed etiam parum ſanguinis tranſmittant, tunc orietur diarrhoea, qua

 cruor

*) vid. *Georgi* Diſſ. de dyſenteria hepatica §. XXXI.

cruor admodum ſeroſus et dilutus, carnium loturae perſimilis alvo eiicitur, id eſt, fluxus hepaticus. Facilius id continget, ſi extremitates iſtae debilitate laborant et juſto minorem dant reſiſtentiam, Diarrhoea cruenta oritur, dum vasa inteſtinorum ſanguifera vel per anaſtomoſin dilatantur vel rumpuntur. Saepe ſalutaris eſt diarrhoea ſanguinea, dum et nimia ſanguinis copia tollitur et ſaepe aliarum haemorrhagiarum naturalium defectus ſuppletur. Sic noverat Perilluſtris VAN SWIETEN *) plures viros, lente et otioſe viventes, quibus familiare fuit, vt ter vel quater in anno purum ſanguinem alvo excernerent, absque ullo ſanitatis detrimento, quin immo longe melius ſe poſt talem evacuationem habebant. Vide iſta quae iam ſupra p. 5. 6. de ſic dicta dyſenteria ſanguinea dixi, quae nihil aliud eſt, quam diarrhoea ſanguinea et proprie hoc nomen meretur. Si nunc vaſa non ad tantum ſunt dilatata gradum, ut non ſanguinem purum et impermixtum, ſed ſerum tantum pauxillo cruore tinctum

*) Commentar. Tom. II. p. 374.

tum, carnium loturae ſimillimum, transmit-
ant, vel dilatata et rupta ſe iterum ad tantum
ontraxerunt gradum, vt cruorem admodum
erofum et dilutum carnium loturae perſimilem
imittant, orietur fluxus hepaticus, et, cum
yſenteria praeſente non ſerum ſolum, ſed ſaepe
tiam sanguinem venter excernat, nihil facilius
ieri poteſt, quam vt cruor plurimo ſero per-
uſus valdeque dilutus, ab aqua, qua nuper
mactatae animantis ablutae ſint, parum vel
nihil abludens alvo ejiciatur. Idem aſſentitur
mihi ETTMÜLLERVS *), qui planiſſime ſcribit:
fluxum hepaticum remanere poſt dyſenteriam,
am curatam, in qua propter depauperatam
maſſam ſanguineam et excoriata interiore in-
teſtinorum membrana vaſa ſanguifera excoria-
ta nondum perfecte conſolidata ſunt; ſic enim
etiam ſubinde aliquid de ſanguine tenuiore
transſudat et ſic indolens talis ſanguinea di-
arrhoea ſupereſſe ſolet. Illum fluxum hepati-
cum, qui diarrhoeae ſanguineae et ſeroſae
nec non dyſenteriae ſe adiungit comitem,
vel a laxitate extremitatum arterioſarum in
in-

*) Oper, medic. Tom. II. P. I. p. 167.

inteſtinorum tunicam internam hiantium ori-tur, beneficio artis eſſe ſanabilem, mihi per-ſuadeo, dummodo tempeſtive et ubi nondum inveteravit, ei debitis et ſalutaribus praeſidiis ſubveniatur; nam tunicae inteſtinorum in-ternae in dyſenteria excoriatio, de qua ſcri-pſit ETTMÜLLERVS, vel plane vel non niſi rariſſime contingit.

V) Fluxum hepaticum interdum oriri ab vlceribus et fiſtulis inteſtini recti, illuſtris iſte ſupra laudatus Autor in iſto commenta-rio, qui inſcribitur: Iournal der Erfindungen Theorien und Widerſprüche in der Natur und Arzneiwiſſenſchaft. Fünftes Stück p. 33 notatu digno caſu probavit. Quae GALENVS de hepatis vi attractrice, alteratrice, expul-trice et ſanguifica eiusque atonia vt cauſa flu-xus hepatici memoriae prodidit, ſunt inge-nioſe excogitata, ſed iam ab aliis refutata, et nil niſi figmenta, quibus in re nihil eſt ar-gumenti.

Illuſtris SELLE Medic. clinic. p. m. 469 ſtatuit, materiae, quae fluxu hepatico dejici-

tur

ur, fontem non ſemper eſſe hepar, ſed ſaepe etiam et plerumque vaſa meſenterica et cauſas huius fluxus eſſe vel eroſiones et continui ſolutiones vel relaxationes extremitatum vaſorum hepatis et inteſtinorum. Conſentit igitur mecum in omnibus iis, quae ſupra p. 20. 21. 22. 26. expoſui, et hoc malum, praeſertim ſi eſt inveteratum, curatu admodum eſſe difficile contendit. BRENDELIVS *Diſſert. de fluxu hepatico* §. VIII. fluxus hepatici cauſam proximam nullam veriorem aliam ſtatui poſſe dicit, quam ſanguinem ſuccis cacochymicis et crudis auctum redundantemque ac vaſculoſam hepatis texturam relaxantem eaque ubertate copia in eodem accumulatum, vt, cum inſurculos venae cavae relabi reſumique omnis et vaſis contineri amplius nequeat, inſtar fluminis alveo ſeſe effundentis, parte quadam eaque tenui et ſeroſa cum quibusdam globulis purpureis in poros biliarios ductumque communem exundet et efferatur ac demum in inteſtina expellatur, et hanc pravam ſanguinis indolem et diſpoſitionem pariter labem ſuam pancreatici et areis inteſtinorum glanduloſis aſpergere poſſe, vt per relaxatos harum meatus idem

ſerum

ſerum cruentum in inteſtina exprimatur, a quo huiusmodi deiectio, loturae carnium ſimilis excitetur. Statuit itaque BRENDELIVS cauſam huius fluxus proximam eſſe cacochymiam ſanguinis ſeroſam vel potius pituitoſam vaſa hepatis relaxantem atque ad ſententiam ETMÜLLERI, de quo vide p. 11. accedit.

Celeberrimus SAVVAGES *Noſolog. Method. Tom. II.* edit. ult. Amſtelod. p. 521. nominat fluxum hepaticum hepatirrhoeam eiusque ſeptem ſtatuit ſpecies, quarum *prima* eſt *hepatirrhoea vera*, *dyſenteria hepatica*, quam definit eſſe fluxum alvi ſeroſo - cruentum ſimulque bilioſo - purulentum, cum ſignis vitii in hepate, ut abſceſſus aut putredinoſae diſſolutionis, qualem obſervavit *Lamoniere de fluxu dyſenterico cap. I.* et plures Auctores in *Boneti ſepulchreto anatom. cap.* de dyſenteria enumerati. *Secunda* ſpecies eſt *hepatirrhoea inteſtinalis Neotericorum*, *coeliacus affectus Tralliani lib.* 8. *Merum nonens Ettmülleri*, *fluxus a dyſenteria Riverii obſ. C.* Haec eſt, inquit, fluxus alvi loturae carnium ſimilis, doloris expers, cuius materia per inteſtinorum vaſa ſecretoria anaſtomo-

ſi-

n paſſa et dilatata in inteſtina effunditur. Coeliaci ex *Tralliano* liquidas, non bene concoctas nec non cruentas feces, velut ex vaſe deſtillantes per alvum excernunt, unde longo tempore ventris reſolutio cum aſſidua dejectione perdurat, hinc extenuatio virium, inappetentia, cruditas etc. Rariſſimus morbus, ſi exiſtat unquam. *Tertia ſpecies* eſt *hepatirrhoea e vulnere* Bonet. Sepulchret. anat. p. 178. A. In hac ſpecie ſuperveniunt vomitus et dejectiones cruentae, etiam, ſi vulnus hepar tantum, non vero ventriculum attigiſſet; et ea differt a dyſenteria per abſentiam torminum, ab hepatirrhoea legitima ſeu vera per colorum rutilum dejectionum. *Quarta ſpecies* eſt *hepatirrhoea meſenterica; fluxus varii meſenterii abſceſſum ſecuti* Io. Rhod. cent. 3. obſ. 95. C. *Quinta* eſt *hepatirrhoea ſcorbutica* Reusneri de dyſenteria p. 411. haemorrhagia inteſtinorum tenuium Barbeyrac M. S. C. Similem nuper obſervavit *Sauv.* ſine ulla febre, ſine torminibus et ſtatim ſine alvi fluxu in puero noſocomii generalis, qui purum putumque cruorem cum fecibus alvi per aliquot dies ſine alvi fluore, dein vero cum alvi fluore excrevit; ſimilem in febribus obſervarunt plu-

res,

res, ut D. *Lazerme* ſine ullo haemorrhoidum ſigno, ſine torminibus. *Sexta* eſt *hepatirrhoea cruenta*, *dyſenteria haemotodes* Heurnii in aphor. *fluxus alvi hepaticus Bontii Med. Iudor. cap.* IV. D. Differt ab hepatirrhoea vulgari, quod non humor ſanguinolentus et loturae carnium ſimilis, ſed purus putus ſanguis ſine torminibus effluat ob diſtenta vaſa ſanguifera vel ea eroſa ab acrimonia; haec ſpecies facilius curatur, quam Europaea vulgaris. *Septima* eſt *hepatirrhoea intermittens*; *ſubcruenta febris Torti* p. 182.; *febris hepatica Torti* de febrib. p. 125. A. Eſt ſpecies, quae febris intermittentis pernicioſae acceſſum comitatur, cum illo terminatur, dein revertitur citamque virium exſolutionem infert, ac, ſi etiam die intermiſſionis perſeverat, ſequenti acceſſu in magnum periculum coniicit. In illa vel initio vel in declinatione morbi loturae carnium ſimilis materia copioſa excernitur ad magnum pondus, vnde ſumma virium imbecillitas, pulſus minutus, extremorum frigus, vox debilis, oculi concamerati, proclivitas in lipothymiam, maxime ſi aeger e lecto velit ſurgere. Illa hepatirrhoea nullum dolorem, nullam animae turbam affert,

ſert, creſcente febre creſcit et intra ſecundum tertiumque acceſſum mortem minatur. Hactenus Illuſtris SAUVAGES. De plurimis mecum convenit hic vir laudatus, in paucis a me diſſentit. Complures eius fluxus hepatici ſpecies ad pauciores reduci poſſe mihi ſum perſuaſus, nam iſtas diarrhoeas, quibus ſanguis purus ſincerus impermixtus deiicitur, diarrhoeas ſanguineas, non vero fluxus hepaticos, habendas et nominandas eſſe exiſtimo. Mihi vomitus cruentus, diarrhoea cruenta, fluxus hepaticus et haemorrhoidalis ratione naturae et originis convenire et duntaxat ratione ſedis et gradus vehementiae differre videntur. Sunt nihil aliud quam haemorrhagiae partium diverſarum; nam ſanguine in partem inteſtinorum superiorem et ventriculum effuſo, oritur vomitus cruentus; parva eius copia multo ſero commixta ex hepate per ductus biliarios et ductum choledochum vel per vasa inteſtinorum in horum cavitatem delata, fluxus hepaticus; maiori vero copia, diarrhoea cruenta; et ex parte inteſtinorum inferiori vaſisque haemorrhoidalibus effluente ſanguine fluxus haemorrhoidalis. Morbus niger nihil aliud

 eſt,

eſt, quam vomitus cruentus cum diarrhoea cruenta coniunctus, quo sanguis partim fluidus floridus, partim ater ſpiſſus, qui, dum in vaſis accumulatus ſtagnavit, coagulatus cum magis minusve vehementibus, immo saepe atrocissimis inteſtinorum doloribus, anxietate, cardialgia, virium proſtratione et syncope vomitu et alvo eiicitur. Mecum consentit Vir ſupra omnem meam laudem poſitus, illuſtris Richter *), qui etiam haec, quae protuli, casu ſingulari maxime notatu digno de viro quodam atrabiliariae conſtitutionis confirmauit, qui morbo nigro et fluxu hepatico fuit correptus et curatus. Hic aliquot quinquaginta annos natus, ex aliquo tempore de certa quadam anxietate et inquietudine ac perpetuo ſurdo dolore in umbilici regione, capitis obnubilatione et ſomno valde inquieto querebatur, eique, cum facies eius omnia atrabilariarum in abdominis viſceribus ſtaſium ſigna prae ſe ferret, exhibebantur medicamenta reſolventia, praeſertim tartarus tartariſatus et extractum taraxaci. Tertio die, praeſertim verſus veſperam inſigni affligebatur

*) mediciniſche u. chirurgiſche Bemerkungen p. 14

gebatur anxietate atque inquietudine. Laudatus vir ipſi praeſcribebat ſal quoddam purgans, quod ſequente die ſumere volebat, ſed nocte vomitu corripiebatur cruento, ſymptomata vero concomitantia non erant valde vehementia et quantitas ſanguinis vomitu eiecti vix unciis decem aequalis eſſe videbatur. Cum aegrum hunc modo laudatus Vir poſtridie mane adiret, penitus deſierat vomitus cruentus et aegrum magis quietum et ſenſationibus ingratis in abdomine minus afflictum, quam pridie, deprehendebat. Sumſit aeger ante praeſcriptum purgans remedium, quod nihil notabile noxium evacuabat, et ſequente die rurſus tartarum ſolubilem. Die octavo ſenſatio in umbilici regione priſtina recrudeſcebat, ſimul abdomen intumeſcebat et diſtendebatur. Dabat ei vir laudatus laxans, ſed ſenſatio in umbilici regione increſcebat. Decimo tertio die mane vocabatur iſte ad aegrotum huncque ad ſellam deſidentem, colore pallido illi morientium ſimili, ſudore faciei frigido perfuſum, vehementem in abdomine tumultum, fere ſine pulſu et inſtantem lipothymiam, ac amphoram ſub eo ſtantem usque ad dimidium fere ſanguine coagulato, quem ex aliquot ho-

ris excreverat, repletam, invenit, haecque ſanguinis excretio etiam nunc perpetuo continuabat. Ante quamlibet ſanguinis excretionem dolor in umbilici regione increſcebat; abdomen magis diſtendebatur et tumultus in abdomine ſequebatur. Illuſtris RICHTER epithemata frigida et clyſteres ſedantes, radicem ipecacuanhae exiguis doſibus infuſumque millefolii adhiberi jubebat, et excretiones ſanguineae ſenſim ſenſimque rariores et minores evadebant tandemque penitus ceſſabant. Tribus diebus praeterlapſis incidebat nova mali acceſſio, quae vero paulo ante memoratis remediis mox ſedabatur, et ex eo tempore oriebatur verus fluxus hepaticus decem dies durans, quo aeger ſub perpetuo affligentibus modo levioribus modo vehementioribus in umbilici regione doloribus colicis humorem, qui carnium loturae prorſus ſimilis erat, nunc magis nunc minus tinctum modo maiori modo minori copia alvo ejiciebat. Toto hoc tempore ſumebat ſerum tamarindinatum debile. Poſtquam hic alvi fluxus octo usque ad decem dies duraverat, decernebat ill. RICHTER. aegro exhibere lene emeticum. Lingua eius ſordibus fuſcis et flavis erat obſeſſa, appetitus poſtratus, ſapor in-

ingratus, caput dolebat, nec dolores in umbiliri regione remittebant nec unquam purgantia notabilem quendam ſalutarem exſeruerant effectum. Emeticum datum evacuabat materiam quandam ſubfuſcam cum aliqua levatione. Poſtridie dabatur tartarus ſolubilis et ſerum tamarindinatum et nunc ſequebantur alvi deiectiones inſtar carbonis atrae et pici liquidae ſimiles cum inſigni levamine, tenſio et tumor abdominis doloresque in umbilici regione deſinebant et aegro appetitus vires et vigor redibant. Hae alvi deiectiones nigrae continuabant quatuordecim dies et quod excurrit, poſt ſenſim ſenſimque redibat earum color naturalis. Tandem cortex chinae et lichen Islandicus aegroto vires et ſanitatem reſtituerunt.

Ad curationem fluxus hepatici quod attinet, illam pro diverſitate cauſarum, a quibus proficiſcitur, diverſimode eſſe inſtituendam, inter omnes conſtat, cauſas vero huius fluxus duplicis eſſe generis, vel tales, quae arte tolli poſſunt, vel non tales, ex ante dictis abunde apparet. De hisce ſupra p. 19-24. fuſe egi et omnes fluxus coeliaci caſus, qui ab his oriuntur

tur cauſis, omnem eludere medicationem, per ſe patet. Mecum hac in re conſentiunt viri illuſtres, SELLE et NICOLAI. Hic, vide pag. 21. omnium iſtorum, qui hoc laborarunt fluxu, nullum convaluiſſe vidit, et ille in *Medicina clinica* p. 469. morbum hunc curatu ſumme difficilem declaravit, inprimis ſi iam paulum egerit radices. Vehementer gaudeo, quod hic ſe mihi offerat occaſio meam erga illuſtrem SELLE obſervantiam ac reverentiam publice declarandi. Supra biennium Berolini commoratus ſum, vt ſtudio medico-chirurgico operam darem. Per totum iſtud tempus, quo ibi ſaepe Noſocomium charitatis frequentavi, magna cum admiratione conſpexi, quam ſapienter circumſpecte dextreque hic celeberrimus medicus aegrotos tractaret. Quod ad illos fluxus hepatici caſus attinet, qui curationem admittunt, ad iſtos omnes iſtos referendos eſſe puto, qui non a gravi magno vel mortifero viſcerum vitio proficiſcuntur. Si hic fluxus ab haemorrhoidibus oritur, cardo totius curationis in eo vertitur, vt hae in ordinem redigantur; ſi a diarrhoea et dyſenteria naſcitur, iſtis curatis et vſu roborantium opiatis prudenter coniunctorum ſubiuncto etiam curabitur; et ſi ab vlceribus et fiſtulis inteſtini recti originem trahit, iſtis ſublatis etiam

ſimul

ſimul tollitur. Evacuantia, emetica et purgantia, leniora in hoc malo tunc conducere, quando ſordes haerent in primis viis, nullum eſt dubium. Illuſtris Richter ſalutari cum effectu aegroto hoc fluxu laboranti dedit lene emeticum, vide pag. 56, ſed in hoc caſu haeſiſſe in ventriculo ſordes, ex ſymptomatibus memoratis ſatis ſuperque apparet. Roborantia et tonica tunc potiſſimum conducunt, quando hic fluxus non niſi a debilitate vel atonia oritur vel ſuſtentatur et in fine curationis ad imbecillitatem relictam tollendam. Quando vero malum non cedit remediis et continuat vel potius augetur, ſequitur hydrops, plerumque marcor et tabes totius corporis et mors eſt inevitabilis.